

gente prognatos. Vnde factum est, ut cum Frater noster eo se contulisset ad Christianorum reliquias explorandas, & familiarum nomina ab Iudæo commemorata secum deferret, nemo ex iis fuerit, qui se talem profiteretur, ideo fortasse, quod Frater noster ex vultu Sina esse nosceretur, & suspicarentur, fortasse eum exploratorem esse ab Magistratibus transmissum; nec hactenus per nostrorum paucitatem Europæus eo Sacerdos mitti potuit, quanquam opus erit per otium ibi sedē figere ad vanos metus eximendos, quod aliquando Deo bene volente præstabitur.

Has tres Barbarorum sectas, ut Sinæ appellant, uno nomine confundunt, earumque Sectatores *Hoei Hoei* vocant, cujus nominis etymologiam hactenus ignoramus. Peritiores tamen eos hac ratione distinguunt: Saracenos vocant *Hoei* suillæ carnis abstinen-